IN NVPTIAS

SERENISS. COSMI MEDICIS

MAGNI HETRVRIÆ PRINCIPIS

ET

SERENISS. MARIÆ MAGDALENÆ

ARCHIDVCIS AVSTRIACAE CAROLI F.


ET

FERDINANDI CÆSARIS

N.

EPITHALAMIVM

Anſelmi Colectij Bargæi.



FLORENTIÆ Apud Iuntas. MDCVIII.

Superiorum permiſſu.

AD
SERENISSIMVM
COSMVM MEDICEM
MAGNVM HETRVRIÆ
PRINCIPEM

EPIGRAMMA

ANSELMI COLECTII BARGÆI.



CCIPE COSME Ducum Magnorum maxima Proles,
Quę Tibi faustus Hymen omina fausta canit.
Regia sic face regali quæ iungitur Vxor
Teq; tuosq; noua prole beata beet.
Accipe, nec Tibi sit tenues despexe camænas,
Par Tibi non posit debile vt ingenium.
Virtus nescit enim iacturam Vestra, nec ingens
Sponte sua ullius gloria laudis eget;
Diues opum vi adeo illa suarum, maior vti vi
Non alia fieri, deteriorue queat.
Scilicet hoc humiles attollere restet vt vnum,
Redere parua quibus maxima posse datum.
Vtq; minus meritis conentur camina, abunde
Nomine sub tanto nobilitetur opus.





EPITHALAMIVM.





ORTE die pater æſtiuo rex maximus Arnus,
Florentem ſecat amne ſuæ qua Coniugis Vrbem,
Humanam effingens taurina fronte figuram,
Cæruleum corpus muſcoſo eduxerat antro.
Fluuiorũ rex Arnus, opimos quotquot Hetruſcum
Irrorant fines, Tuſcumq; feruntur in æquor.
Largifluos ille & fontes & ſcrupea tecta,
Speluncæq; lacus, vndiſq; perennibus vrnam,
Regnat vbi exeſo ſub fornice rupis opacæ,
Piſcoſos inter ſcopulos, lucoſq; ſonantes;
Frondiferi hoſpitijs mutans, & mitibus vmbris
Arboris, auraq; æſtatem mulcente Fauoni.
Tantæ illi curæ tecta alta inuiſere, & Vrbem,
Quadrupedemq; ſuæ, rubicundaq; lilia Floræ.
Vtq; manu hærentem ſpumanti aſpergine barbam
Mulſit; in herboſo ridentis margine ripæ,
Tempora, rorantesq; madenti vligine, cedit

Suauis odorati nardi cui copia, crines
Fagineis cinctus folijs; (nam cætera obibant
Omnigenæ fruges, & plenis vua racemis)
Graminea se sede locat, vt floridus agger
Altior extat humo aggesta. vaga flumina coram
Rege suo cursus, maioraq; murmura agebant;
Regia maiestas fieret quo maior honore.
Ille amnem nihil attendens, nihil agmina aquarũ,
Vnum id agens, vnam gaudet spectare Maritam.
Quæ contra in viridi se gramine frigus amœnum
Captans, iuncta pari cum coniuge amore locarat:
Rebus læta nouis, & formæ conscia coniux,
Maxima natarum Tybris, Romana Virago.
Fœsula montiuagas inter non vltima nymphas,
Fronde super viridi, scopuli sub rupe cauata,
Tybri mixta, nouũ peperit quam pignus Hetrusco,
Hetrusco Tybris genitor quam iungeret Arno.
Nobile coniugium, quo Filia tanta Marito
Tanto iuncta, genus tantis maioribus æquum
Ederet, & floris ferret de nomine nomen;
Florentem tanto pareret quòd semine prolem.
Fronte olli rutilant roseo pudibunda rubore
Lilia, regalis decus immortale coronæ,
Fulcricomus gemina quæ sustinet arcus ab aure.
Candentes prima fuerant ab origine flores:
Candor sed diti iam tum decesserat ostro.
Alba tamen nodo, monimentum insigne prioris
Fortunæ, auricomos stringebat vitta capillos.

Nec

Nec pulchros alius cultus præcinxerat artus,
Quam niueus, ſuper illuſus cui coccus, amictus.
Diſsidij antiqui indicium: nunc pacis & oci
Inter ſe mixti certiſsima ſigna colores.
Ad pectus dextram admorat. nam læua regebat
Sceptrum, lilium apex in cuius deſinit aureo
Suffultum pomo, coniunctum vt Regis & Vrbis
Magnum inſigne notet: ſeq; exercere ſecundas
Imperij partes, Regi largita priores.
Cernere nec procul eſt, primæuum inſigne, ſuperba
Ante oculos quod lilium habet ceruice leonem,
Seruantem, erectum: Dominæq; adſtare tuendæ.
Vtriq; accintum; & florem defendere herilem,
Atque Heram. At illam lætitiam ſpirare videres,
Gaudia monſtrantem ridentibus omnia ocellis.
Scilicet ante ſuo ſe ſe oſtenſura Marito
Illa caput, flauasq; comas liquido amne lauarat:
Sparſerat & niueos vndis fœlicibus artus:
Largius vt cunctos natiuæ frontis honores,
Largius & formæ decus inuiolabile honeſtæ,
Atq; ſinus, nullisq; genas medicata venenis
Oſtentaret ouans, puroq; occurreret ore:
Plenius & cupido mentem inflammaret amore.
Augent lætitiæ formam, feſtiq; diei
Gaudia; nec non occurrens vir fronte ſerena,
Vxoris nil ſe ore ferens, cultuq; minorem.
Populeus, magnum auguriũ, cui ramus in aureum
Mutatus ſceptrum: nec ſpe mutatus inani.

Circum capripedes agrestia numina Fauni,
Syluicolum chorus et Dryadum gens edita truncis,
Florigenumq; genus mollissima turba Napææ,
Naiadesq; cauis egressæ, & flumine ab imo
Cingebant, Panesq; amnem Satyriq; bicornes:
Fida cohors; fida regem obseruare corona:
Sed longe. tanta est magni reuerentia Regis.
Corniger hic Fluuius, penetrauit vt ima tuenti
Notus in ossa calor, flammamq; hausere medullæ:
Iam iam animi victus, concepto & amantior igne,
Oscula purpureis iterat repetita labellis,
Ore premens: seq; effundens in gaudia, molli
Complexu extremi delibat munera amoris.
Iamq; vxore minor, longèq; vxorius, vnde
Et dulces natos, Veneris & præmia norat
Tanta, suæ veluti non sortis conscius ipse,
(Tyrrhenos inter quāquam pulcberrimus amnes)
Pascit ab aduersæ flagrantia Coniugis ore
Lumina dependens, hæretq; immobilis vno
Fixus in obtutu, nec quit se explere tuendo:
Delitijs nimis ille suis, & amore liquescens.
Vtq; locus Zephyri mollissima lenibus auris
Ocia amæna dabat, mollissima lenibus vmbris,
Incipit, & placidas fallit tranquilliter horas.
Molliterq; genu sceptrum dextro admouet armo.
O fœlix vna ante omnes, ò maxima nostri
Gloria Flora æui. Quid enim prius ordiar vxor,
Quam laudes celebrare tuas? sua gaudia cuiq;

Grata

Grata, libensq; refert. Nam quæ te maior auorum
Nobilitate, genus quæ Martis, Atlantis & audis,
Antiquis certas nec degener Herolinis?
Corporis ingeniĳq; bonis quæ ditior, vni
Cui formam Venus ipsa suam largitur, & artes
Ipsa Minerua suas, largè auctans vtraq; honores;
Pulchrior vt pulchro regnans in corpore virtus
Omnibus eniteat numeris, digno illa recepta
Hospite & hospitio? Quæ coniux prole maritum
Vberiore beat; si tu fœcundior ouis
Ledæis fundis subolem, quæ Heroibus æquet
Se priscis: certetq; etiam vltra extendere factis
Virtutem? Glebæ quæ lætior vbere, opumq;
Vi, pleno omnia cui præbet bona copia cornu,
Luxuriosa bonis, est quicquid vbiq; locorum;
Adsit vt humanæ vt quicquid vitæ exigit vsus,
Delitĳs etiam super ingens copia abundet?
Et quod enim diues Tybur, quod molle Tarentum,
Tales extruxit fulgentia mœnia villas,
Totq; vmbras nemorum, et mites Musea recessus?
AEmoniæ inuideat tempe mollißima syluas.
Adde quibus ver ætatis, floremq; iuuentæ:
Adde iocos, lepidosq; sales, linguæq; lepores,
Me mihi queis toties à pectore surripis imo.
Adde locis habitare, quibus cœlum vsque salubre
Excitet ingenia & mores exsuscitet aptos, (mis
(Martis vbi à studĳs, tua quæ laus maxima, et ar-
Discedis) libeat quascunq; aduertere ad artes,

Do-

Doctrinaq; vias, communia pignora alumnos,
Natura magnos, ac magna ad quaq; creatos.
Sed quis pro meritis dignè te prædicet vxor?
Concipe maiores coniux mea concipe laudes.
Obstat amor laudi, manifestaq; pectora amoris
Arguit vxori veniens laus ore mariti.
COmmunis nam causa sua cum coniuge coniux.
Nec si communi laudator honore trahatur
Non quam expreßit amor, sordescit amantis in ore.
Atq; adeo satius forsan decerpere fructus,
Inq; sinu tacito nullo tacuisse periclo
Gaudentem. bona tot faciant ne forte fruenti
Inuidiam, turbentq; viri vulgata quietem:
Promptaq; mendacem grauet ignominia linguam.
QVIppe fide, minor inuidia, quæ gloria maior.
Commodaq; inuidiam non raro odiumq; facessunt.
Vera tamen vincent. nec me affinxisse, tuas qui
Norit opes, sed vix minimum expreßisse loquetur.
Falsa nec incutiant dicenti nota pudorem.
Tutum & ab inuidia sit opus. FOrmosa marito,
Probaq; sæpe suo magnum allicit vxor amorem.
Gratia nec vanum finget. Quæ gloria falßis,
Laudis vbi seges est, veriq; opulentia maior?
Laudis amor propriæ nec vano ducit honore.
Inuida turba licet tali nos peste teneri
Vsq; fremat, plus & nimio nos nostraq; amare.
Qui tamen imperio vt parent, nec laudibus æquas
Inuideant aures; meritis quæ debita merces.

Vera

Vera fidem amittent, laudem si plenius æquo?
Non venit vberior dignis laus. excipit omnes
Marmor aquas, omnesq; capit, nec finibus exit.
Diuite nec si te vena, in primisq; perenni
Irrorent, totisq; rigent si laudibus amnes,
Lux mea non semper maiore capacior auctu.
Concipe maiores coniux mea concipe laudes.
Neue pudicitiam corrumpam laude, verendum.
Esse bona vt dici, bona gaudet fœmina. Amatq;
Verus honos lucem, vt mendax infamia noctem.
Et tua iampridem bonitas, spectataq; amoris
Pignora certa. Fides seruat seruata fidelem.
Roboraq; assumit virtus laudata, bonumq;
Menti affert sensum, moresq; auertit inertes.
Vilis honos formæ, si quod decus enitet ore
Monstratur digito, & vulgi fit fabula. longe
Sit mihi coniugium, formæ nisi honesta venustas
Moribus ornatur sincero & pectore honestis.
Gratia nec maior, quam mens integra puellæ,
Exemplo quæ casta domum iuuet, vsq; marito
(Grande rudimentum pueris) se obnoxia præbens,
Illæsum vt seruet concordi fœdere amorem.
Concipe maiores coniux mea concipe laudes.
Tali dote tibi vsqueadeo me Flora pudoris
Deuincis: prolemq; paris Matriq; Patriq;
Et facie, & rebus similem. fortesq; creatos
Fortibus, haud vlli temere committis alendos,
Ipsa vt alens magis obstringas natosq; virumq;

Officio

Officio tu functa tuo. Quæ sedula nutrix
Matre magis paruus natus? A lacte bibit rus
Sæpe tener plebemq; puer. Meritisq; reponi
Talibus hanc Vrbem, turritaq; mœnia cernis.
Inq; tuum, antiquum nomen mutare; quòd aures
Gratior accedens signat Florentia opum vim,
Florentesq; viros, quam bina fluenta quòd inter
Vrbs primum fundata Fluentia. Nomen & annis,
Desuetumq; vsu. Tum quòd tua gloria longe
Nobilior: digna ante mihi & tua nomina poni:
Florida florenti vt floret Florentia Floræ;
Nulla fluentisonis superet iam gloria vt vndis.
Auribus hoc neque do. Cui te sine cognitus Arnus?
Concipe maiores coniux mea concipe laudes. (sa
Fœsula magna virũ genitrix, magni Atlãtis & ip-
Filia, qui summo stellantis vertice mundi
Fulcit onus, sua cuiq; volumina didit & orbi,
Nobilitate meis quid tanta profuit vndis?
Tusca per arua tamen non amne minore vagabar,
Ille ego progenies Iani præclara bifrontis,
Vix bene frugiferis, quos pleno flumine campos
Stringebam, notus. sed vt vndis omnibus emi
Te vxorem, tales genui te coniuge alumnos,
Talem Vrbem vidi; non tantum vt Fœsula mater
Ipsa suæ assurgat natæ, sed honestior Arno
Nõ secet amnis agros, nec Tuscas currat in vndas.
Concipe maiores coniux mea concipe laudes.
Præsertim ex illo, Radagasi cæde cruentus

Cum

Cum redit è pugna Medorum è sanguine regum
Demissum genus & nomen, scuto ille reportans
Aurea mala Medix, confossi sanguine ab hostis;
Vastabat late Ausonias qui cladibus vrbes,
Sanguinolenta; noui monimentum insigne decoris;
Quòd vitam acri pro patria vltro obiecerit hosti:
Soluerit & ciues bello, & sua mœnia victor
Obsidione, nouaq; omnes formidine Hetruscos.
Quo facto antiquos prope iam obliterata per annos
Magnæ restituit Medicum cognomina genti:
Fecit & augurium sceptri, redeuntis & ostri,
Aurea purpureo respergens poma cruore,
Regificos ostrum vt cultus exornat & aurum.
Quippe genus, clarumq; Domus insigne, nouumq;
Imperium, tenera qui credit origine, aberrat
Longius à vero: antiquos res nescit, & annos.
Concipe maiores. Coniux mea concipe laudes.
Lydia nam gens Hetruscis (repetatur vt altum
Magnæ stemma Domus, primæq; exordia gentis)
Finibus appulit vt primum, nostri ostia ad amnis
Puppibus exiliens: fundo me exciuerat imo
Et famæ & facti nouitas: mediumq; per alueum
Subuectus, cultusq; nouos, habitusq; virorum,
Scutaq; cristatosq; apices mirabar, & arcus
Ex humeris de more, sagittiferasq; pharetras
Pendentes: vastosq; prææalti corporis artus.
Flumina enim properabat iter gẽs nostra secundùm.
Quæ loca, quiue homines præmisso milite haberent

Nauiter explorans. non dum tu lucis in auras
Edita lux: nec areniferis quibus obrutus undis
Mutarat magnum nomen vetus Albula Tybrim,
Fœsula nec Tybirim, quo mox tam læta marito,
Tum dignata foret; quanto florebat honore
Oris, diuitijsq;. nec vrbem aspexerat amnis
Orbis adhuc Dominam. fama est obscurior annis.
Res sed nota mihi, qui sum æuo annosior illo:
Arguere & quisquã mendacem haud audeat Arnũ,
Quo nihil integrius, nil incorruptius amne:
Quicquid cõtendãt monumenta antiqua; Pelasgos,
Mæonios, Pylios, Liguresq; fuisse, trahatq;
Ancipitem hac anceps de re discordia litem;
Indigenis mixtas non vna ab origine gentes.
Audita hi referunt. testem sed visa fidelem
Si faciunt; ipse oculis uidi quæ testor apertis.
Nec testem ambitæ laudis spes ducit inanis.
Quæ modo adest, longe melior fortuna: suisq;
Sat contenta bonis, nec laudem quærit ab annis;
Tam locuples veri, quã falsi haud indiga honoris.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Hos inter scuti ingentis gestamine, & alto
Vertice supra omnes exstabat maximus vnus
Agmẽ agens, veluti comitũ Dux sũmus et auspex.
Medorum de gente superbus cultus & arma
Monstrabant Lydis mixtum, Lydosq; relicta
Et patria & laribus, noua quærere regna trahẽtem.
Quando inter Medos, genus vnde trahebat auito

San-

Sanguine de regum, regnum tractare, priori
Quod fratri obtigerat, nec Lydos inter, honestum,
Regem agere; vt nuper quibus arma erepta, putaret;
Cauponam indignans, artesq; ignobilis oci.
Scuto fulgebant medio fœlicia poma
Fœlicis mali, solis quæ nascitur arbos
Medorum syluis, arbos re & nomine fœlix.
Medorum regum, regniq; insigne decorum,
Medica dum stetit incolumis res, aulaq; regno:
Præualida dextra crispabat missile robur,
Hastam fulgenti præfixam cuspide & ære,
Fraxineam, ingentem. lateri pendebat & harpe,
Vagina inclusam quam demittebat eburna
Balteus. Illum autem spirantem pectore Martem,
Martē oculis, Martē vultu, Martem ore videres.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Vt vidi. extemplo tacito sub pectore mecum.
Nunc, olim, certe hic nostris dominabitur oris:
Cedite Ianigenæ, Medo date sceptra Tyranno.
Nec vanū augurium. Namq; vt præsentior arbor
Non venit auxilio, & membris agit atra venena,
Quam quæ Dux medio mala ille vmbone gerebat:
Haud secus indigenis domitis, rerumq; potitus
Imperium statuit: discordia siqua manerent
Arma, grauesq; iras componens pace, malisq;
Occurrens tanquam medicina nouissima morbis.
Tum mores, legesq; viris & mœnia victis
Vt posuit, Tyrrhenosq; suo de nomine dixit;

Nomine de Medo Medicum cognomina gentis
Omnia Tyrrhena extendit per stemmata regum;
Sceptrum mala quibus regale insigne relinquens.
Nimbo qui tum cæruleo Delphina gerebant,
Nauali quòd re multum gens illa valeret,
Delphinoq, adeo de nomine nomen habebant;
Collecta haud bene dum populū Respublica in unum.
Hinc Oscis Medix nomen solemne tenendis
Imperijs, Romæ vt Consul, Carthagine Suffes,
Mēphicolis Pharao, sceptra ad Hispana Philippus.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Nam causa in prōptu est, numerū si forte requiris.
Bissenas vrbes gemino sex poma colore
Signant, quas gemina arte tenebat, pace vel armis;
Ex illo huc insigne gerens quicunque, potenti
Sceptra manu tractans, populi regnauit Hetrusci.
Hinc prisci Reges, ignota huic nomina sæclo,
Heroum genus. Hinc Aruns, Porsenaq; magnus
Ornarunt dextram sceptris, diademate crines:
Romanosq; ausi per bella lacessere & arma.
Quamquā ollis demū concessit Hetruria. Nā quis
Obstaret genti, cui totus subditus orbis?
Inde adeo Domus hæc late regina, remisit
Imperium in præsens, longe redeuntibus annis
Regno emersura, & fama maiore: maliq;
Solamen fati hac pensans mercede; prioris
Oblita vt sortis degens priuata fefellit.
Ex quo etenim res cœpta retro Romana referri,

Ipsa

Ipsa quoque exercens tristes Hetruria rixas:
Vt tunc res fuere, infestaq; tempora bellis,
Diuersis gentem Ducibus diuisit & vrbes;
Annuit ipsa quibus velox victoria palmam.
Res ita eunt pessum, longumq; obliuia regnant.
Tantum armis annisq; potest delere vetustas,
Quæ regna & reges, & mœnia vertit & vrbes.
Sic perijt genus Oscum, & gente vetustior Osca
Tursus, quiq; prior de gente priore Torabus.
Sic res Tyrrhenæ, sic Itala fracta virum vis.
Vt longum historiæ, longum siluere camœnæ.
Donec respirans longis ab Hetruria damnis,
Quæq; per exactum, nostrum quæ passa per æuum;
Teq; inter magnas clades, belliq; ruinas
Surrexisse videns cunctis supra vrbibus vnam:
Sceptra tibi mea vita manu porrexit amica.
Scilicet imperij recolens vt iura vetusti
Hæc tu restituas magno dignissima Cosmo:
Antiqui reuocans Medices ad munia honoris:
Antiquosq; tibi reparans hoc nomine honores.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Nam quæ finitimis posita surgentibus urbe
Iam tum Romulidis concessit Hetruria, Hetruscũ
Quanquam laus ea magna, tamen contraria Hetru
Rebus & imperio, votisque obstantia nostris. (scis
Cessit enim lituos, trabeam, sellanq; Curulem,
Lictorum numerum, fascesq; trucesq; secures;
Magna Magistratus insignia, magna decoris
Orna-

Ornamenta. dedit sacris ritusq; ministris,
Lanigerosq; apices, Saliosq; Ancile ferentes.
Sed sua diminuit, Latiumq; euexit in astra
Imperium, & Latios clarantia nomina fastos,
Fabritios, Curiosq; mares, magniq; Camilli
Pectora. non Medices, Strozzæ, non Gondia proles,
Saluiatumq; domus rerum ditissima, opesq;
Riccasolum ingentes, non semina Barda, tuumq;
Gherardesca genus, non Vbertina propago,
Flos virtusq; virum, florentia nomina Tuscum
Clararant Arnum: non te mea Flora, tuamq;
Vrbem. matre ortum quãquam repetamus ab alta
Roma; Tresq; viri deduci in nostra colonos
Arua hæc mandarint; Tribus & deduxerit addens
Scaptia Sullanis iam tum has habitantibus oras
Robora; Tybris ouans Capitolia celsa Tonanti,
Martia non tu lux Baptistæ templa sacraras.
Non maculis hominum tergendis nobilis Arnus.
Nescius inter enim frondosa cacumina fagos
Alpibus egressus, præter quod prisca virorum
Vrbs Hetrusca solo Alphea de gente, secabam
Cuius mœnia aquis; nomen dabat, agmine inerti
Per syluas tacitus, latebrosaq; tesqua volutus,
Inter arundineas torpebam inglorius vmbras.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Tu quoq; magne parens Latios Saturne per agros
Aurea secla tenes. Quid tum? vaga nectaris ibant
Flumina, sudabant quercus & roscida mella.

Vina dabant fontes, stagnabant lacte paludes.
At nostris vix nomen aquis. Regnata potenti
Tuscia Porsenæ bissenis vrbibus alte
Extulerat caput: æquor aquis quodq; alluit infra,
Quodq; supra ditione premens. quæ sceptra tot ante
Magni tractarant reges, quorum obruit ætas
Nominaq; et genus, ex quo prima ab origine auitum
Fundauit regnum gemini prudentia Iani,
Indigenis statuens vrbes, qui more ferarum
Errabant syluis vaga gens, sine moribus, exlex;
Coniugijs nec iuncta vllis, incultaq;: cui glans
Victus, ouis cultus, domus antra, cubilia frondes;
Sicubi magna Iouis tendebat brachia quercus,
Sicubi forte caua pendebat pumice rupes;
Clusinos fontes, Clusinæ stagna paludis
Vna celebrabat Clusinis collibus Aula.
Nomine ego obscuro languebam & inertibus vndis,
Inde Arnus dictus, quòd amne per arua natarem
Flexiuago, temere finxit quod vana vetustas.
Verius arma artesq; darent cui nomen, & omen;
Vt quibus vltro adsim, nutuq; & nomine præsto;
Luce quod hac veniens vidit manifestius æuum.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Vix te (pace tua dictum) fausto alite longum
Per tempus potui Coniux duxisse videri.
Et quis enim tum lætitiæ locus? omnia rixis,
Omnia seditione, odijsq; referta furentum.
Funera quot memini, & nimium meminisse necesse.

Quan-

Quantum Vrbi conditis primordia dura recenti?
Scuta quot, & galeas, & fortia corpora volui?
Hi primi plausus, thalami hæc fax prima iugalis;
Sanguineq; & tabo riuis currentibus auctus:
Inq; duas scindens Vrbem discordia partes,
Dum pœnas odio per vim festinat inulto.
Scilicet Arnigenis Latium infudisse colonis
Gens effræna virum, Sullanæ examina pubis,
In sua vulnificum conuertens viscera ferrum,
Arte erat indicio tali, geminasq; nouabat
Partes, Pœonia haud vlcus reparabile ab arte.
Frustra quippe tegas quod alunt fomenta tegendo.
Si tamen haud alia Medicum ratione reponi
Magna Ducum poterant redeunti sceptra quieti,
Fas sit vt exclamem; tanti mala tanta fuisse:
Quo passis grauiora quies modo gratior adsit.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Non tamen interea non cura exhaustus edaci,
Lambertos spirare videns immane, nouiq;
Pro furor, infausta temeratos cæde mariti
Vbertos. Cui non mala fæmina causa ruinæ?
Musca furit, sed qua haud aliud violentius œstrũ.
Tu quoque communi nimium externata dolore,
Tam mala tam late cum baccharetur Erynnis.
Vt timui, ne te bellis ciuilibus hosti
Ludibrium faceres, magnum aut captiua triumphũ?
Spe tamen haud cessi, casus solatus acerbos
[illegible] & factis contraria facta rependens:
Tan-

Tantus aquis, quantum fletus lacrymæq, dedere:
Cætera sed nimium curis exhaustus amaris;
Hoc nisi quod pretio maior sperata voluptas.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Talia cernebam magni Mauortis alumnos
Romanos, bello durum genus, aspera fessis
Multa tulisse, nec absimili sub imagine, rebus:
Respersumq; forum, Gracchiq; cruore Nasicam:
Martigenamq; solo gentem pene funditus ira
Gallorum æquatam, Brenniq; furentibus armis.
Verũ vt palma, premit supra quã põdus inhærens,
Altior erigitur, nec pondere victa fatiscit:
Sic magis emergit virtus attrita periclis
Viuida, seq; malis tutò venientibus offert
Ardua, perq; nouas gaudet se attollere clades.
Rebus & aduersis vi multa Martia pubes
Robora collegit bellis, animosq; viriles,
Hostibus occurrens, & nescia cedere. seq;
Extulit, & facta est rerum pulcherrima Roma.
Nec nos Troiugeni profecti à stirpe Quirini,
Bella per & cædes nostri incunabula regni
Cernimus in cunctis aliter dominantia Tuscis,
Nec vi Lidigenis, nec laude minora Tyrannis.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes
Nã quas impressit strages Lõbardus, et Hunnus,
Et Totilas fulmen belli, lateq; ruentis
Exitium Ausoniæ, primam cum funditus Vrbem
Euertit rabies Getica, æquauitq; suprema

Tecta solo, densi tegerent vt rudera late,
Saxaq; diuulsis saxis, & marmora vepres;
Illic vt seges esset, vbi prius alta domorum
Culmina Mænalijs steterant effulta columnis,
Tantorũ sumptus operum, ac monimenta laborum;
Lucro, quam fraudi ponenda hæc verius. Heros
Quando Carolus ille potens Pipinia proles,
Et rebus gestis idem, & cognomine Magnus
Talia restituit, tali præcinxit & orbe
Forti structa manu præruptis mœnia saxis:
Templa, domos, latasq; vias meliore reponens
Quam prius & sumptu, & cultu congesta fuissent.
Tali & collectos, qui celsas cumq; per arces,
Ciues relliquias belli insigniuit honore;
Quorum ope letiferos late mox funderet hostes;
Hac mercede graues meminisse vt dulce ruinas.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Quod si robora, opesq; virum, si mœnia gyro
Extendit, septemq; sibi circundedit arces,
Vt genus acre virum, Gabios, pubemq; Sabinam,
Albanosq; Patres, circum quas contudit armis
Finitimas gentes, crescentem adsciuit in vrbem
Roma suam, Tybrim iungens & pontibus amnem.
Tu quoq; non secus ingentes spes concipis, Vrbem
Maximus ingentem nec circuit ambitus, Vxor,
Quam profligatis hinc armis fortiter atq; hinc,
Quæ, Tuscis fieres ne regia finibus, acris
Tyrrheni bello gens coniurata manipli

In-

Intulerant; magna domitas virtute feroces,
Seruitioq; premis populos, vrbesq; subactas.
Quas tamen interea cædes, quos corporum aceruos,
Quosue viros supera cassos defleuimus aura?
Altera Carthago Pelopeæ prælia gentis:
Fæsulaq; Albano de monte & mater, & hostis:
Atq; aliæ effigie similes simili vrbibus vrbes,
Et gentes multæ, turbantiaq; oppida bellis;
Pistorium Arretiumq; Volaterræq; rebelles,
Infestos adeo quæ nos habuere tot annos.
Nec furiale malum Ciuilia Cæsaris arma,
Cum iam tanta fores, Pompeianosq; tumores
Non experta, Ducesq; tuos hinc inde mouentes;
Omnibus vt numeris fieres nimis æmula Romæ,
Rebus vt accisis, ita me melioribus æquans.
Sed iam, pertulimus quæ fausta infausta per æuum
Multa prius valeant, lacrymosaq; bella facessant:
Cædesq; & geminæ feralia funera partes.
Lux hæc lætitiæ nobis non nata querelis.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Namq; vt depositis odijs discordibus Vrbis,
Maxima gens Medicũ, sceptris gens inclyta, et ar-
Nec virtute minor, rerumq; recepit habenas, (mis,
Fortiter, & regnat populis inuicta subactis:
Non auro mihi contendat qui turbidus Hermus,
Auratas non qui torquet Pactolus arenas.
Non tibi Memphis opes, non Crœsi regia Sardis,
Barbara non Babylon triplici circundata muro,

De quibus & Graiæ tot habent miracula chartæ.
Quas nostri & sedes partim liquere coloni.
Quin & Medorum tellus ditissima syluæ,
Magnaq; turiferis diues Panchaia glebis
Tusco assurgit agro: nedum quæ colle supino
Fœsula vix restat. quæ ni tu Filia matrem
Sustentes, mutet montana cacumina apricis
Fundis: nec timeat famam confundere auitam
Nostra hac vrbe libens. Atlantis filia quanquam
Nobilis, antiquum iactet nomenq; genusq;:
Ausa diuq; truci tecum decernere ferro.
SÆpe senescenti sed præstat filia matri.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Nam pater ambabus iam priscus tradidit aurum
Saturnus manibus, regnandaq; sponte reliquit
Aurea secla tibi, quæ Crœsi magna talenta
Iam superas, longè lateq; negocia rerum,
Seu tractes merces. Nec non de Clane palude
Iampridem Porsena manus dedit, ille minaci
Qui rem Romanam contra contendere vultu
Ausus. nunc at deposita feritate triumphi
Instar habet; parere tibi. fronte ille serena
Multum gratatus; Medicum quòd reddita auita
Genti sceptra suæ. Pisasq; prioribus annis
Vt cessit, sic (nec longum post tempus) vt vno
Arctius àdstringat vinclo noua vincula regni;
Robora magna virum, nomen Senense, genusq;
Adiungit, gentes tres nectens corpus in vnum,

Tri-

Triplice ut & regno, tripliciq; beemur opum vi.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Magnam urbem fateor Pelopea potentia, et ingens
Tradidit imperium, terraq; mariq; timendum.
Sed fuit hoc olim: ac seclo vix cognita nostro
Fama, vetustatis vix & quota rudera restant.
At quæ Fernandus Dux Maximus ille salubri
Restituens cœlo reficit, quà strata viarum,
Quà cultu meliore domus, fontesq; perennes
Sufficiens, statuasq; locis & fontibus aptas;
Siue, iuuentuti tradant qui Palladis artes,
Suppeditans doctosq; viros, victumq; nouumq;
Hospitium, Cosmi decus immortale Parentis;
Seu, quos collegio Pater idem Cosmus equestri
Adscriptos signo CRVCIS insigniuit & ostro,
Amplificans, cultuq; pari se ac ordine honestans;
Hæc equidem quamuis longis non atterat annis
Tempus edax, memoriq; suo inimica vetustas.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes
Firma liburnorum de nomine dicta Liburni
Mœnia, inexpugnabile opus, portuq; recinctum,
Fossaq;, & duplices vndis cingentibus arces
Accedant, magnum externo tutamen ab hoste:
Atq; arma, atq; Duces numeroso milite cincti,
Quisq; suos durum formantes Martis ad vsum.
Gymnasium armorum dicas, totidemq; Magistros
Militiæ antiquæ, prisco de more palestræ
Exemplum reuocare, rudimenta aspera belli.

Nosti

Nosti artes, & opes rerum, naualia, nautas
Audaces, mare qui vento, vel remige curru
Percurrunt septem gemini supra ostia Nili,
Velivagum omne genus salis alta per arua mouētes.
Nosti equitum excubias totum per littus, & arces
Dispositas, ne quid hostile incurrat ab vndis,
Oppidaq;, & Tuscos vastent cultoribus agros.
Plura quies Tyrrhena, decorq; vt debeat alto
Fernando, Fluuius quam Pisis Arnus auitis.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Nec magni tu Roma neges fecisse, tibi quæ
Ordine de summo Patrum, sanctoq; senatu,
Ore Patrum vnanimi, totoq; fauente senatu,
Clementes geminos, geminos decora alta Leones,
Cuiq; dedit nomen pietas, tractare supremi
Iura vicesq; Dei, legisti Vxoris Alumnis
De nostræ, & Medicum supremo è sanguine regum
Præcipuè: clauesq; manu, Capitiq; tyaram
Das gestare, altiq; fores recludere olympi,
Claudereq;: vt laudes Tyrrhena laude Latinas
Accumules. tanta elucet genus indole nostrum.
Siue tuos vetus agnoscens nos mater alumnos,
Omnia magna quibus committas munia: quosq;
Degeneres nunquam conuincat inertia: quales
Sese vsu rerum res monstrauere per omnes.
Nec tam, tradideris quòd gnatis mater honorem
Læteris, quam quòd dignis: ne forte merentum
Laudibus officiat pietas, votisq; putentur

Sceptra

Sceptra optata magis, meritis quam tradita iustis.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
An non plus quater vndenos sacra Curia legit
Hac ex vrbe Patres, exornauitq; galero,
Primæui decus & secli immortale, nouiq;?
Quos quibus anteferam? Vbaldinis vos Ademari?
Albertos an Cursinis? vno ordine vt omnes,
Sic digni historijs, longisq; annalibus omnes.
Quos vna & reliquos, vt quorum laudibus impar,
Prætereo; ne quemq; suo numeroq; locoq;
Vt nequeam digesse; ferar fraudisse merentes
Laude. licet nec Gaddia amet præconia virtus:
Nec Danti tacita æuo quamuis maxima & illo
Acciaiola Domus, nec Tornaquincia. quosq;
Longa mora enumerare omnes. nec præmia quorũ
Longius æternant fastos, quam nomina fasti.
Nõ quorũ genus extinctũ: quanquã omne per æuum
Fama superstes agit solum metuentibus alis
Nominaq; & laudes, & tanti munia honoris.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Nec secus interea, secli decora alta recentis,
Gondius, & Detus, Barberinusq; refulgent,
Bandinusq; senex: quosq; in noua secla creabis,
Lumina magna virum, magnis virtutibus, vnde
Pontifices iterum imponas tibi læta. nec omen
Exitus eludet. mens Arno gnara futuri.
Tuscorum hoc; res & casus prædicere rerum.
Tuscus ego, & Tuscos inter certissimus amnes.

Vert-

Veridicum facit oraclũ & quod Tuscia nomen
Inde trahit, quòd turicremis incendat acerris
Tura Deo, longe sacris gens dedita & aris;
Nouimus antiqua quod relligione parentum,
Nostraq; re probat huic generi longe aptior ætas;
Tantorum pietas Patrum quæ propria virtus,
Propria Pontificum, cœloq; intendere mentem,
Seruandoq; gregi, soliq; vacare Tonanti.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Maximus inter quos auro spectandus & ostro,
Septimus ostrũ augens Medicum de gente suprema
Delitiæ nuper Fernandus, amorq; Quiritum,
Nobilium latè populiq;, vrbs quanta, regendis
Redditus vt Tuscis, regni dignissimus Hæres;
Quam foret ante omnes iam tum præstantior vnus,
Quam bonus imperijs, quam rèbus gnauus agendis,
Quam pietate potens, & seruantissimus æqui;
Non res testis egens. probat experientia. nam si
Magnũ magna decent; concepta quidem ille suorum
Longe ultro maiora fide, & spe vota rependit.
Quoq; nouos magis atq; magis sortitur honores,
Hoc mage inexaustùm aspirat sublimibus ausis:
Nil paruum sapiens, nil non regale relucens.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Nec mirum. quando materna qualis ab aluo
Semine de magno prognatus luminis hausit
Vitales auras: nutricis qualis ab vlnis
(Indole quantus erat) speratus, quantus habendo
Sce-

Sceptro, prædictis vatum promissus & astris;
Mittit signa Deus quæ non obscura, tuendos
Quorum vltro curis populos committit, & vrbes;
Re modo se talem, & vates defendit & astra,
Astra futurorum testes, vatesq; bonorum:
Sorte sua fœlix, & toto corpore regni.
Nec minus egregia de Coniuge plenus Alumnis,
Quam tu lux mea diuitijs, opibusq; superbis.
Immane, auspicijs quantum consentiat Vrbis
Flora tuæ & magnis Medicum natalibus astrum:
Astrũ ad magna vocans Vrbemq; excelsa, Ducesq;
Magnanimos, vtrisq; astrum diuinitus aptum:
Nunquam vt sublimis tuleris caput ipsa sub astra,
Facta nisi Domus hæc rerum vt tutela tuarum,
Sceptra tenens tibi dat leges, & iura volenti.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Quid tibi nũc memorẽ magni ornamenta senatus
Egregios Proceres, rerum queis summa potestas,
Quatuor & quater vndenos, qui murice operti
A numero nomenq; ferunt, vt ab ordine cultum?
Tot castella putes hos, propugnaculaq; Vrbis,
Militiæ, inq; toga populis & pace tuendis.
Martellos, Corsos, Rinuccinosq;, Benosq;,
Et Giugnos, atq; Antellas, pubemq; Valoram.
Tum Pazzos, Stufasq; mares, acresq; Rudulphos,
Et Bonzos, Zatos, Tornabonosq;, Dinosq;.
Adde Caualcantos, Alamannosq; genusq;
Capponium, Spinos, Puttos, Nerlosq;, Nerosq;,

Riccardos, Carnesecchos, & Caccia te gens:
Atq; alios quorum, vt nostræ non vocis egentes
Hos in mini, sic vt nostræ non indiga laudis
Nomina si linquam, non nostra fraude relictos,
Florentes sed laude sua, meritisq; putandum.
Copia neu pariat fastidia longior æquo.
Quorũ in gente superuacuũ memorare quot armis,
Quot pietate viri se æternauere, suosq;.
Pistorium, Pisæ, Senæ, tuq; optima testis,
His quos committis populos, vrbesq; regendas:
Mentem animumq; domi iampridẽ experta, forisq;.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
His neq; componas, quos & calcaribus aureis
Insigniuit, equisq; Otho Saxonius: Vrbis
Incrementa tuæ quanquam ea maxima: vt ibant
Tunc res, & veterũ primordia pristina honorum.
Gens nisi quod genti vetus illa immixta recenti,
Forte recens facit vt vigeat laus laude vetusta.
Si qua vetustatem durans gens vincit edacem,
Calcar, equusq; daret cui nomen honoris ab auro.
Quippe minore noui non sunt pietate, nec armis
Laude. Vetus famam virtus acquirit ab annis,
Nesciaq; inuidiæ. Suboles sic magna Peruzzæ
Prisca e gente, recens fama per secla superstes.
Sic Tinsam, Bellamq; vetustaq; nomina in æuum
Fama propagat anus. Quod si noua ponderet acta
Lance pari, non lance pari superata vetustas
Discedat. timeatq; nouis non cedere liuor.

Quanta

Quanta est & rerum nostrarum, & copia laudum.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Quã magnũ, quod (ne lõge nostrum ordiar æuum)
Magnanimo nuper Fernando auctore, carinas
Ænotrias per dorsa maris longinqua, virosq;
Ausoniæ florem, terrorum expertia corda,
Barbara tentatum duxit Borbonius Heros
Regna? Nec incœptum frustra, nisi fortibus ausis
Defuerat comitum pars altera: falsaq; Graium
Corda. fides Graium sed cui non nota? nec auster
Non sæpe elusit spes nostras. Nec tamen ardor,
Propositiq; tenor tardatus. testis in amplo
Ægeo Veneris Cyprus insula. testis & ipsa
Magna Cypri regina Venus: cum lilia & aurum
Contra stare rosam prospexit, ne color omen
Sanguinis impleret perterrita; magnus ab altis
Puppibus vt statuit sese Franciscus in acta,
Atq; suos. traxitq; (ingens conatus) opaca (tur
Nocte sub, inq; arcem, inq; vrbẽ. nec magna moran-
Quas contra tormenta rotant muralia glandes,
Ingentes glandes ingenti pondere, ritu
Fulminis, explosis prærupto & turbine flammis.
Illa metus ignara acies, ignara pericli
Scilicet it, constans cœptis & perstat in ijsdem.
Tantus amor palmæ, laudumq; arrecta cupido.
Et nisi quod numero exiguos venientibus annis
Robur ad ingentes res debile dixerit ætas?
Quæ maiora animi inuicti argumenta? Probari

Qui putat euentu, non factis facta; nocenti
Inuidiæ obsequitur, laudi vt oblatret acerbus.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Quis mihi Phryxei nunc conferat aurea monstri
Vellera, tot Graijs, tot decantata Latinis?
Nec via, nec numerus, nec res æquanda. nec ingens
Lanigeras auertere oues, & viuere rapto
Laus. exantlato neu vilia cœpta labori
Officerent, pellem auratam prætendere furto.
Verius vrgebat prædæ quos dira cupido,
Queis pecus illud erat, lacq; omni dulcius auro.
Et gens illa tamen Virtus, roburq; virorum
Audijt, & Diuum genus; ausa quòd alta profundi
Prima secare cita Neptunnia regna carina.
Cyaneæ cautes quibus, & Stymphalides vndæ,
Ludicra res, magno miracula visa periclo.
Palladis auxiliũ quanquã alno, & Typhis adesset.
Ast vbi nostra dedit se ventis classis, & vndis,
Tuta sui pelagiq;, volat vada cæca: Carybdis
Vasta quibus iocus est, & ludus Scylla. domumq;
Non pecudẽ auricomã remeant, sed fulmina belli
Æra reportantes, tormenta ingentia. desunt
Nec rerum gazæ, nec magna monilia gemmæ.
Quantus enim Ionio terror cum stagna per alta
Fertur, & infestis viduat prædonibus vndas?
Insulæ Ægeo in magno, castellaq; & arces,
Portusq; assidua pressi formidine testes.
Testis & ingenti datus ingens Rector Alumno

Syl-

Syluius Æneadum soboles, Hipponia clades,
Barbaricam gentem Lunas gestare bicornes
Indignans, clarum maiorum insigne suorum.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Adde quod & generi armorum, rebusq; gerendis
Ars minor, & vires. Turbã, trepidumq; tumultum
Verius appelles, hastis sudibusq; praeustis
Pugnantes. Animo recole prisca arma parentum,
Æs Martinellum quibus, & Caroccia moles
Belli signa dabant, noua rerum nomina, & artes
Ad graue Martis opus, populũq; ad bella ciendum.
Quæ tum res. Quod si veros quandoq; labores
Bella darent, gladijq, & pila minantia pilis
In manibus; quæ pugnaces dura arma Quirites
Tractarunt: Ballista rotans ingentia saxa
Visa quibus, molesq; ruendis mœnibus ingens
Pernicies Aries, quid si noua fulmina belli
Æris Teutonici audissent, & maxima ferri
Pondera, & abrupto contorta tonitrua ab igne,
Quæ tormenta, recens inuentum, protulit ætas
Nostra, soloq; vrbes late vertentia & arces
Exitio ingenti, quo terra, polusq; tremiscit;
Corda pauor pulsans hausisset pectore ab imo?
Quid simile huic monstro Balearis verbera fundæ?
Quid iacula, & celeres neruo impellente sagittæ?
Quæ glandes vnquam impactæ cum turbine, quanto
Æra hæc emittunt massas ferri, atque catenas,
Murorum clades, æratorumq; virorum?

Non ſecus abruptis erumpens nubibus ignis
Dat ſtragem latè, magno cum murmure mundi
Euertit turres, & celſa Ceraunia montes:
Crebraq; præcipitat grando, ruit imbribus æther.
Ire tamen noſter, pro prodiga pectora vitæ,
Contra audet, letumq; ferox contemnere miles,
Clade ſua hoſtilem cladem, exitiumq; rependens.
I nunc inuidiæ & linguæ da lora loquaci.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
  Nec tamen eſſe negem, quibus ingens gloria priſcis.
Nã quod magnanimo Duce, & auſpice Gothofredo
Florentina phalanx, ſacri pars viuida belli,
Ire & Idumæam Abdaridis immanibus vrbem
Subductum, & magni pro libertate Sepulchri
Omnibus haud timuit caput obiectare periclis:
Primaq; conſcendens victrix victricia ſigna
Impoſuit muris, meruit qua laude coronam
Chaoniam, grata illa Duci, grata illa Tonanti;
Nulla equidem magnũ hoc factũ non prædicet ætas;
Et certare nouis, longeq; anteire vetuſtis.
Quãti autem id magnus Fernandus fecerit auſum,
Non vanus Iudex, vani nec amator honoris,
Inde patet, quod de multis vxoribus vnam
Legit Chriſtinam, Hetruſco quam crederet æquam
Imperio, natisq; Hetruſca ad ſceptra creandis;
Illius Herois quòd gente agnoſceret ortam,
Quo Duce non alius potior pietate, nec armis:
Cuius & in tantum Lotharingia nomine creuit,

Chri-

Christina in quantū nunc Aula superbit Hetrusca;
Fœdere amicitiæ renouato, & pignore amoris
Ciuibus hoc nostris, quorum auxiliaribus armis
Christicolis facta est Solyme tum regia Gallis.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Nec claris minus ingenijs, doctæq; Mineruæ
Artibus, egregij tua gloria maxima vates,
Vulgus iners supra, pronamq; ad inertia plebem
Te pariter, nomenq; suum super æthera tollunt.
Et quis enim Aonio referentes vertice Pindi,
Parnaßiq; iugis Phœbææ frondis honorem,
Impositam capiti merita cum laude coronam,
Nomina inextincta ignoret cum Dante Petrarcam?
Mantua quem genuit, Calabri docuere Maronem:
Quemq; sibi adsciscunt ciuē septē oppida Homerum,
Nulla tenent. incerta trahit discordia litem.
Ipsa paris geminos, nutrisq;, docesq;, Poetas,
Integram nihil vt iudex laudem eleuet anceps.
Multaq; Dircæum Cycnū vt leuet aura, modosq;
Multa Pindaricos conuertat Horatius arte:
Qui tamen vtrumq; exprimere, & fœliciter ausus
Fecit in exemplum Tusca haud imitabile lingua,
Omne tulit punctum triplicis per præmia palmæ.
Virgilioq; vt par Dantes, par cedat Homero
Eloquio, certe doctrina excedit vtrumq;.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Nonnè et Apollinea vel maximus arte Machaon,
Et verbis, notisq; potens Podalirius herbis,

Pæonios

Pæonios succos fomenta salubria alumnis
Cesserunt pridem nostris, artemq; medendi,
Vulnera vt & morbos curare fidelius ausint,
Bilemq; & fesso depellere corpore febres?
Sed quorsum tandem, me commemorare quot artes
Egregias, fama se clarauere, colentes?
Teq; resoluentem magnarum ænigmata legum
Accursi fax Ciuili præfulgida Iuri?
Seu qui res gestas, monumentaq; maxima seruant
Simpliciore via & stilo, vt tum secla ferebant,
Annales Villane tuos: proprioris & ucta
Temporis historijs magno commissa paratu,
Magna quibus Medicũ sunt magna exordia proles?
Vestra suam satis extollunt præconia famam.
Quorsum Vrbis formã, et cultũ, manuumq; labores,
Egregiasq; domos, ceu magna Palatia Romæ,
Artificum laus ingenijs quæ debita, veræ
Non virtutis opus, solidæ nec gloria laudis?
Quãquã aliqua hospitio laus apto habitare, manusq;
Artificum redolere, fabrosq; omni arte probatos
Et peperisse, operumq; nouorum habuisse magistros.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Non tacitã tamen, & pretio mora digna, relinquã,
Quæ tam discendi studio inflammata iuuentus.
Contrahiturq; locis. animi mens omnibus vna.
Fœlix concilium. studijs dant nomina & albo
Adscripti, ingenij dotes, & Palladis artes
Exercet studiosa cohors. monumentaq; auorum,

No-

Nostraq; discutiens, ita linguã opulentat hetruscam,
Nobilitans Cruscæ nomen, quod plebis ab ima
Fece tulit, nomen longis memorabile seclis,
Nomen Socraticis non aspernabile chartis,
Attica uti cedat, Romanæ & copia linguæ.
Et primas ferat eloquij iam Tuscia, & Arnus
Cecropijsq; fauis, Tybriq; fluentior amne.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Tu pietate viros insignes nescia labis
Pectora, Zenobiumq; Antoninumq; patremq;
Gualbertum cæco fulgentia lumina seclo;
Aut paris, aut audis vitæ morumq; magistros:
Diuinos monitus, diuina oracula quorum
Voce bibens, superum Regi vltro addiceris vni,
Sincerumq; animi seruare, odisse profana;
Syderei qua clara via cœli itur ad astra.
Huc tua relligio, huc virtus maxima tollit
Te natosq; tuos: huc te tutela Ioannis,
Membra Dei lauit egelidi qui fluminis vndis:
Huc quæ templa Dei Matri augustißima summo
Cœlo æquas, Diuumq; alijs diuersa per vrbem
Per sumptus tot structa operum artificumq; labores.
Quãq; Ducũ modo Dux magnus Fernãdus ad ædẽ
Laurentij curat tollendam ad sydera molem,
Cui cædat toto præclari est quicquid in orbe.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Nil tibi non magnum, nil non sublime, tuisq;.
Vna tamen Medicũ Domus omni augustior Vrbẽ

Eminet, vna tuas superat laudesq; tuorum.
Qualis enim astrorum Phœbe iam plena minores
Vincit luce ignes; aurum supra omne metallum
Vt micat, haud secus ista domos Domus inter hone-
Fulget, opes omnes longe, gazasq; superbas, (stas
Illa & diuitijs, & nomine clara, relinquens.
Hinc nobis plenis rerum præconia riuis
Decurrunt. hinc se nomen nostrum æquat olympo.
Quid multa? auspicijs huius, ventisq; secundis
Venimus ad summum fortunæ, et culmen honorum.
Iam quot equi Troiani aluus, qualesq; reclusit
Græcorum primos Argiuæ robora pubis,
Clarorum totidem herou hæc pulcherrima Mater.
Nec satis. imperijs magnis gens maxima habendis
Nata, nouis secum Gonzagas illa, Quiritesq;
Vrsinos, gentemq; & auis atauisq; potentem
Extensem, celebrem multis, dictamq; Poetis
Iunxit coniugijs; Italis est quicquid in oris
Imperij, & sceptri in semen confundat vt vnum.
Concipe maiores Coniux mea concipe laudes.
Quid quod Galloru sceptris quoque misit habendis
Reginas geminas, tædisq; iugalibus arctè
Hispanis se, Germanis, Gallisq; reuinxit?
Nec spes attollit ventura in secla minores,
Quanto iam pridem prolis ditatur honore:
Qualia iam desponsa nouis connubia Natis.
Iamq; dies pompæ, thalamioq; hæc dicta iugali.
Gaudia nec tu non cernis diffusa per vrbem.

Cui

Cui decet officio nos vt famularier vltro;
Debita & obsequij persoluere munia; ab imis
Huc egressus aquis, tua per præconia laudum;
(Quo fallam sermone morã) laudum ordine ab alto
Prouehor, interea veniat dum regia Virgo.
Non tua quod mihi iampridem non nota voluntas
Quando hoc de toties alias & pluribus actum.
Sed tua ope vt quoq; iungantur connubia Coniux
Tanta, tuasq; animæ tali o pars maxima nostræ
Concludam cumulo summas & cardine laudes,
Nobis tanta venit seges vnde, & copia laudum.
Fuerat, contra cum Flora hæc reddidit, Arnus.
Talibus & quis enim haud ò Coniux abnuat orsis?
Gratius hoc & quid possit contingere porro?
Hoc erat, optabant quod votis omnibus omnes
Iãpridẽ Ausonij, hoc Genitor quod Magnus, et vna
Magna Parens Christina; diẽ aduentare, noua quo
Coniuge Primæuum Natum, tædaq; marita
Vincirent. tacita hoc mecum quodq; ipsa voluto
Mente diu; digna componere compare Dignum.
Eia age, partes iam vt nostras præstemus vtrisq;
Nulla mora, egregios quin constringamus amantes
Indissolubili nodo, ominibusq; secundis
Omnibus. Ipsa alio nec enim te nomine iuxta
Assedi, longumq; tuo Vir maxime amorem
Ore bibens, interpello nil verba loquentis:
Non tam, ne rumpam seriem laudum ipsa mearũ,
Quam quod ad hanc metã sermonis ab ordine primi

Iam tum euasurum te præsagire videbar;
Nuntia vt ista meas afferres lætus ad aures.
Quod si dulciloquis tacito sub pectore dictis
Concepi laudes; concepi gaudia: iam iam
Auctius vt laudes, conceptaq; gaudia crescant:
Pompaq; Coniugibus maiore trahatur honore,
Clarisona quo voce iteret, fidibusq; Hymenæum,
Talaßiumq; chorus, dum regia ducitur Vxor;
Tu quoq; lætanti perfusus pectora motu,
Auge flumina aquis, auge vndis murmura Coniux.
Si mouet exemplum. maiora volumina (nosti)
Ipse quoq; Ister agit, fluuiorum maximus Ister.
Qui mare ceu vastum, longoq; volubilis orbe
Centũ ambit populos, magnis centũ amnibus auctus.
Nuncq, vada Euxini pelago petit alta sonanti,
Turgidior solito, tumidisq; superbior vndis;
Nostra ad regalem quod mittat sceptra Puellam.
Nec Tagus, auriferas voluẽs qui turbidus vndas,
Magnam huiusce, toro quæ Tusco addenda, Sororẽ
Magno fortunat regno, magnisq; Hymenæis,
Agnoscens magno dignam regnoq; Viroq;;
Lætitiam maiore nouam non exerit alueo,
Turgida inexhaustum conuoluens agmina in aurũ.
Tuq; etiam, à Belgis qui findis Sequana Celtas,
Flauicomos Celtas, præcelso seq; ferentes
Vertice, declaras plenis noua gaudia ripis,
Prouentu ingenti tumidus quas tringis aquarum.
Aureaq, attollens taurino cornua vultu,

Saxo-

Saxoſum reſonas, lapſusq; ferocior urges.
Vtq; minus detur lymphas miſcere, locorum
Magno interuallo, mixta clariſsima promunt
Signa voluntatis, cognati & pignora amoris.
Quorum vota trium quando concordia votis
Accedunt noſtris: quis; quæ connubia tanto
Conſenſu iungit concordia tanta, ſereno
Iuncta neget cœlo, cunctisq; volentibus aſtris?
Quare age tu quoq; rauca tumens, fratrūq; ſecutus
Curſus, magnæ & lætitiæ, & magni ominis ergo,
Auge flumina aquis, auge undis murmura Coniux.
Vosq; ò Pierides proles Iouis aurea Muſæ,
Si quando totam viridanti bacchare frontem,
Cingereq; inſueto inſuetum velamine corpus
Conſueſtis; nunc tempus adeſt, cum fonte ſorores
Spargere Acidalio, perductaq; membra liquenti
Ambroſia, niueo par eſt prætendere cultu;
Seponitur quicquid feſtis ſolemne diebus.
Nunc cum purpureo ſuas vincire cothurno,
Armillisq; manus, collumq; monilibus aureis,
Compoſitumq; caput feſta circundare myrto,
Cantusq;, plauſusq; nouis miſcere choreis,
Vocibus imparibus magnum Pæana canentes,
Imparibus, ſed enim numero concordibus uno.
Tuq; adeo, præclarorum quæ magna virorum
Facta canis Regesq;, repoſtum euertere mundum
Funditus, argutosq; decet contendere neruos
Calliope, neruisq; modos aptare canoros,

Du'-

Dulciloquumq; melos, merorum mite leuamen,
Voce suauiloqua, qua patrem sæpe Tonantem
Demulces, durisq; affers obliuia curis,
Vocali modulans mellitos gutture versus.
Causa monet si digna fides, festosq; paratus,
Blandisona & plectro percurrere carmina eburno;
Regia Tuscorum Regi quæ ducitur Vxor,
Austriadum de gente virum dignissima Virgo.
Si, mea arenosus qua mœnia diuidit Arnus,
Extuli ego & vobis pompas, & Virgine dignas.
Auge flumina aquis, auge vndis murmura Coniux.
Et quod enim toto terrarum maius in orbe,
Coniugium nostræ poterat sperarier Vrbi,
Austriaca quam prognatam de stirpe Puellam,
Quæ modo contingit nostro dignissima Cosmo?
Hæc venit Imperij Romani iura tenenti
Sanguine de magno magno coniuncta Rudulpho,
Quo non sceptra alius titulo maiore gubernat.
Hæc Regi Hispano magno connexa Philippo,
Imperium vidit quo nulla patentius ætas.
Connexus Quintus quo sanguine Carolus, vnus
Obliterat qui facta nouis prisca omnia factis.
Imperij nomen, quo non præstantius, ex quo
Carolus ille tulit sceptrum cognomine Magnus,
Quo non Italiæ luxit fulgentius astrum:
Cuius & auspicijs gens Franca tot aucta trophæis
Amissum imperium, Romanaq; iura recepit.
Sed nimis excedam, cunctorum nomina auorum

Si

Si pergam numerare, parentum et præmia. Nã quæ,
Quæ domus Austriaca titulis augustior? vlla
Optari haud potuit Virgo fœlicior vlli.
Stemmate nec tanto, nec nobililitate minores
Virginis eximiæ longe lateq; refulgent
Ingenij dotes, & casti pectoris artes;
Magnanimũ magna obstringat qua dote Maritũ:
Fulciat & sceptrum, & magni molimina regni,
Prolem edens sceptris, rebusq; ingentibus aptam.
Auge flumina aquis, auge vndis murmura Coniux.
Conuenit & nostris immensum rebus, & Vrbi
Et Domus, & Virgo, series & maxima rerum.
Principibus regnata viris quibus Austria primum,
Debile principium titulos mox auxit opesq;,
In tantum, nihil vt supra iam detur, honorum.
Vixq; & nos sceptri cum iura recepta tuendi
Rettulimus Medicum Domui, cognomina genti
Prima Ducũ dedimus, qui se (mora parua) potẽtes,
Et magnos fecere Duces: nec nomine tantum,
Sed re aucti, circum populos hinc inde prementes:
Iam nihil vt videas Tyrrhenis maius in oris.
Quod vice si tali, si tali humana tenore
Procedunt, spes certa manet certi ominis; & nos
Omnibus ornatum magnis insignibus iri,
Summaq; venturos summorũ ad culmina honorũ:
Qualis adest facies, rerumq; similimus ordo.
Auge flumina aquis, auge vndis murmura Coniux.
Nam mecum iuxta Gothos si experta furentes,

(Du-

(*Diluuio nam quæ tellus non obruta ab illo?*)
Inconcussa tamen bellis, infracta ruinis
Restitit. inuictos animos fecere labores.
Indicijs quæ nec dubijs, nec teste liquet res.
Quæ sibi perpetuos tulerit bis quinque potentes
Induperatores, ex quo rerum arbiter vnus
Iulius Imperium, Romanaq; iura redegit
Vnius ad nutum, fascesq; trucesq; secures,
Non aliam inuenies: nec plenam Heroibus vllam
Pluribus, aut plures quæ fuderit Heroinas.
Vt taceam omnigenas per culta nitentia fruges,
Oppidaq; & cinctas præruptis molibus vrbes,
Militiæq; togæq; viros longe artibus aptos:
Quosq; Deo addictos vitijs imperuia corda
Progenuit, sacrisq; dicauit rebus & aris.
Auge flumina aquis, auge vndis murmura Coniux.
Vtq; fluentisonis ego auitum nomen ab vndis
Mutarim in floris nomen dextro omine: sic &
Ostria quæ priscis primum appellata Sueuis,
Illa eadem, in quorum venit mox iura, colonis
Austria dicta, suum Domui quæ sceptra tenenti
Nomen habere dedit; quòd honoribus aucta, nouis se
Imperijs magis atq; magis clararit & actis.
Testis Danubius, qui tot correpta sub vndis
Scuta virum, galeasq;, & mixtis corpora telis
Deuoluit tumidus: toties cum fortibus armis
Impressit rabiem hostilem, externosq; furores;
...itimasq; acies. testes stagna alta profundi

Au-

Austriades qua tot strauit, fuditq; fugaces
Ioannes pinos, Augusto æquandus, eodem
Marmore qui victor cœpit, fregitq; carinas
Niliacas: rerum imperium cum vxorius hostis
Postposuit fœdæq; fugæ, turpiq; maritæ.
Auge flumina aquis, auge vndis murmura Coniux.
Nec prima hæc Medicũ sedes, thalamumq; iugalẽ
Ingreßura venit regum genus, edita ab alto
Sanguine, clarorum fortunatißima auorum
Progenies. Magno virgo socianda Marito,
Ioanna Austriacas inter pulcherrima nymphas,
Illæsi exemplum magnum Ioanna pudoris,
Fernandi Austriaci dulcißima Filia, auitas
Germanorum oras, & Norica regna reliquit.
Quam gemini fratres, sceptrisq; potentibus ambo,
Austriaci fratres, duo lumina maxima Reges,
Francisco magno magnam iunxere Sororem
Omnibus auspicijs Diuumq; hominumq; secundis.
Semine de quorum pulcherrima filia forma,
Nec pietate minor, Gallorum maxima Regem
Promeruit Regina virum: regesq; creauit
Iam geminos, magnum fœlici prole Maritum,
Consilioq; iuuans, vt magni ad pondera regni
Vnum præsidium, columenq; immobile credas.
Auge flumina aquis, auge vndis murmura Coniux.
Nec fines alia imperij gens vlla columnas
Herculeas vltra proferre ardentior. orbis
Vt nostri contenta parum moderamine; magnam

Ammericam domat à nostro procul orbe remotam,
Regnaq; Channibalum: vix debilis vnde recurrit
Fama reuertentes post longa volumina menses.
Quanquam inde argenti, magnum vectigal, et auri
Magna reportantur quæ pondera; quanta repostæ
Robora sint gentis, regniq; potentia, monstrant.
Fortis Alexandri sileat iam Gracia totum
Auspicijs late domitum fœlicibus orbem.
Quin quantum Bacchi permensum tigribus, acri
Alcidæ quantum fatalia monstra domanti;
Vix quota terrarum pars illa marisq;, recingit
Æquora vbi tellus, non tellurem æquora, nostri
Extra anni, Solisq; vias, & sydera mundi.
Austria sed tamen his Domus imperat inclyta terris,
Latius & multo quam nostro hoc regnat in orbe.
Auge flumina aquis, auge vndis murmura Coniux.
Iure igitur, quanquam qua se Germania ad Arcton
Pandit, & Hesperios qua frænat Iberia Celtas,
Quaq; secat Gallos pleno amne Garumna iugales;
Centum florebant præstanti corpore Nymphæ,
Centum florebant præstanti ætate puellæ,
Diuitijs omnes, claris natalibus omnes:
Itala terra tamen cunctis hanc prætulit vnam,
Quam centum iuuenes inter virtutibus omnes,
Diuitijs omnes, præclaro & sanguine claros,
Magnanimo Medicum Iuueni coniungeret vni,
Coniugis egregij egregiam dignata cubili.
Quorum coniugio lætantur vt Europæi

Vna-

Vnanimes; sic aspicias pallentia Thraceum
Ora timere suis suprema pericla ruinis.
Omina nec desunt, nec fortia robora. quando
Tot coiere Domus sceptrisq;, armisq; potentes.
Stent modo bella animo; in manibus uictoria. Sed nũc
Pace opus, & placida pacisq;, ociq; quiete.
Auge flumina aquis, auge vndis murmura Coniux.
Pace Venus gaudet, pacis dulcedine & oci
Aligeros nutrit, mellito & nectare amores.
Pace vigent vrbes, moresq; coluntur & artes.
Perq; leuis tenui subtegmine aranea inanes
Intexit galeas mollissima vellera telas.
In falcem gladij, in rastros vertuntur & enses:
Perq; viatores non terrent furta latronum.
Pace virescit ager, maturas collis & vuas
Explicat, & fœta distendunt vbera vaccæ.
Pace per vda greges, agnosq; hædosq; petulcos
Prata videre iuuat, colludentesq; iuuencos.
Pacis opus stabili connectere fœdere amantes.
Pacis opus tædas, thalamosq; fouere iugales.
Nostraq; fœlici connubia pace celebret
Arcigerum mater Venus aurea mater amorum.
Auge flumina aquis, auge vndis murmura Coniux.
Tuq; Hymenæe veni, geniale cubile maritis,
Puluinarq; pares strato vt geniale cubili,
Et Nuptam de more loces. vltroq; precatus;
Quod fœlix, faustum, fortunatumq;, relinquas
Ardenti thalamum Iuueni, qui gaudia amoris

Libet inexhausti primordia fausta, trahatq;
Coniugis infusus gremio per membra soporem.
Quo fota somno, fœlici & nocte puellæ
Colla rotundentur maiore ornanda monili,
Hesterno nequeat torques cum cingere gyro.
Inq; sinu strophio surgant turgente papillæ,
Libata signum Veneris, Zonæq; soluta,
Magnaq; conceptam argumenta minantia prolem.
Auge flumina aquis, auge vndis murmura Coniux.
At tu magnorum sanguis regum, Austria Virgo,
Et terris late & summo gratissima cœlo,
Austriacas inter decus immortale puellas;
Quam tot virtutes, tot honestant stemmata regum;
Omnia magna tibi iam magno finge Marito.
Tuq; tuæ spes magna Domus, spes magna Parentũ
Tyrrhenæ decus ò Cosme immortale iuuentæ,
Coniuge macte noua, noua Hetrusci gloria regni,
Et terris late, & cœlo gratissimus alto;
Omnia magna tibi iam magna finge Marita.
Auge flumina aquis, auge vndis murmura Coniux.
Vosq; triumphales mea magna potentia ciues,
Qui tot tanto arcus studio statuistis ouantes,
Sublimes arcus, spirantiaq; arcubus æra
Ora vetustorum, & vultus similantia auorum;
Tuscia quosq; tulit, quos & tulit Austria, regnis
Magna suis genitrix clarorum quæq; virorum;
Instar, resq; horum gestas vt vterq; tuentes
Coniux, ingentes ad res animentur & acta:
Con-

Concipiantq; animis dignam tanto ordine prolem,
Quæq; repræsentet mores, & facta suorum.
Auge flumina aquis, auge vndis murmura Coniux.
Iam paribus studijs, iam iungite & agmina cœtu:
Vocesq; plaususq; date argumenta fidelis
Clara animi: claris omnes expromite signis
Lætitias. nec enim ad magnos minus exiuet ac us
Obsequium vestrum, præclari & testis amoris
Concursus, viuos quam signa imitantia vultus,
Præteriti decora alta æui, decora alta futuri;
Acer vterq; ad res stimulus & calcar honestas.
Auge flumina aquis, auge vndis murmura Coniux.
Plurima vti postes præcingit laurea & ædes,
Diuum ædes, præclarorum postesq; virorum.
Laurea Cæsaribus cingendis crinibus alta,
Laurea fulmineas auertere credita flammas,
Laurea, ventorum cui verbera nulla, nec imbres
Vertice decutiunt intonsa cacumina crines:
Da pater omnipotens, rebus iamq; omina firma,
Tali vt prole virum, taliq; virescat honore
Coniugij fortuna noui, resq; arceat omnes
Auersas procul: vt nulla non parte beati
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis,
Magni magnorum nati incrementa parentum,
Fronde coronati lauri per secula currant:
Artibus & longe instructi belliq;, togæq;,
Quiq; Deum Tusca obseruent pietate, manuq;
Fœlici tractent populi florentis habenas,

Semperflorentis populi, vel pace, vel armis:
Quiq; Dei flagret æterno immortalis amore,
Vinciat vt meritos noua semper laurea crines.
Auge flumina aquis, auge vndis murmura Coniux.
Conceptis quid enim votis fœlicius optem,
Quam vestri similem natam ò par nobile prolem,
Posse videre breui numerosa examina Alumnos,
Tempora tranquillet vestræ quæ sera senectæ,
Degat & ipsa suæ fœlicia tempora vitæ,
Sceptra tenens, populisq; ad se dans iura vocatis,
Nestorei dum longinquos æui exeat annos?
Nec spes destituet: celeres nec vota per auras
Irrita diripient rapidæ vaga flabra procellæ.
Magni nomen habet Virgo ominis inclyta. nã quod
Magna det, atq; vltro leni data temperet ore,
Magdalena, nouum Tuscis decus addita rebus,
Dicta. decens nec tantum corpus Cosmus, honestas
Quam dotes animi, magnas et denotat artes,
Quo genere haud alius magis auctus honore bonorũ.
Tam causis ergo euenient fausta omnia iustis
Connubio, Coniux quam nomine, & omine vterq;
Promissis bene fortunant euenta secundis.
Sic optare libet, pariterq; optata sequentur.
Auge flumina aquis, auge vndis murmura Coniux.
Obuiam vti pueri candenti in veste pudici,
Obuiam vt innuptæ candenti in veste puellæ
Procedunt, niueo testantes pectoris imi
Candorem cultu: vt semper-florentis oliuæ,

Quos

Quos manibus gestant ramos, mala longius arma,
Atq; inimicitias arcent, pacemq; minantur,
Et consanguineæ pacis bona cuncta quietis:
Sic ibunt. sic astra volunt: sic maximus auctor
Annuit astrorum fœlicia cuncta nouellis
Coniugibus. Pueriq; vltro, teneræq; puellæ.
Vt precibus petiere pijs, & pectore puro,
Hoc precibus tenuere pijs, & pectore puro.
Vtq; fides adsit. constantem iurgia amorem
Nulla vnquam rumpent. nullas discordia lites,
Dissidiumq; feret. sed seros curret ad annos
Mutuus ardor, in hæc qui mutua pectora amantis
Fœdera coniunxit, solidoq; adamante ligauit
Mansuram æternum ventura in secula pacem.
Auge flumina aquis, auge vndas murmura Coniux.
Dixerat. assurgensq; manu rapit inde maritum:
Collaq; in amplexus per mutua brachia nexi,
Passibus accelerant paribus vestigia euntes.
Lætæ occursantes venienti vt fronte Puellæ,
Excipiant primo verbis in limine amicis.
Quæ noua regales offert quæ pompa paratus,
Proq; sonant tectis plausus, vocesq; fenestris,
Mœnia magna suæ multis comitantibus Vrbis
Iam iam intrat: gaudetq; libens, fruiturq; triumpho,
Concursu ingenti feruent vt strata viarum,
Desuper & largo florum conspergitur imbre.

Typographus candido Lectori.

Ægrè fit, artem vt hanc tractantes non aliqua iuterdum fugiant. Id quod & alij ante nos frequentes, & nos re ipsa iampridem experti sumus. Quis enim tam Lynceus est, omnia vt videat? Si quid igitur hic erratum, id non magis artificis incuriæ, quam artificij difficultati adscribas, rogo. Sic valeas, gaudeas & bene rem geras.

Concessu Superiorum
Petri Niccolini Vic. Gen. Flor.
P. Lelij Placen. Inq. Gen. Flor.
Pauli Vintæ P. Aud. S. M. D. H.